Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2789

Quelle:
Copyright:

nans prophetico &c. Nec *Andreae Holles*, nec *Guil. Certeyn* meminit *Tannerus* in *Bibl. Brit.*

XIX. *fol.* 71. *Incipit tractatus de vſuris Editus a laurentio de Ricolfis* (Ridolphis, Rodulphis) *de florentia. In nomine ihesu christi eiusque matris dulciſſime virginis glorioſe. beatorumque Georgij et Sebaſtiani martirum. Amen. Plurimorum aures crebro pulſatus eloquio* &c. Ad calcem primo legitur: *Hoc opuſculum perfeci ego laurencius de Ridolphis doctor minimus actu legens ordinarie in noſtro generali ſtudio florentino die XIIII. februarij Anno dominice Incarnationis M. CCCC. III°. Sit ergo laus* &c. Dein minio: *Explicit tractatus de vſuris et earum ſpeciebus Excellentiſſimi vtriusque Iuris doctoris domini Laurencij de Ridolphis florentini &c. ſcriptus ibidem florentie Sub anno 1440.* Sequitur Tabula. Editus eſt Tractatus hic *Piſciae* 1490. f. et in *Tract. Tractat. Venet.* 1584. T. VII. *fol.* 15. De Autore adi *Panzirolum* L. III. c. 30. et *M. Mantuae Epit. Viror. illuſtr.* ubi tamen in edit. *Chr. Godof. Hoffmanni Lipſ.* 1721. p. 480. floruiſſe illum 1503. σφαλμα impreſſoris eſt.

XX. *fol.* 173. Formula confitendi peccata ad omnia chriſtiani hominis officia exacta, quae incipit: *Confeſſor venientem ad ſ. confeſſionem benigne et caritatiue eum recipiat, et ut pateat via interrogandi diſcrete petat* &c. Edidere ejusmodi *Confeſſionalia* ſeu *Interrogatoria* in *Italia Antoninus Florentinus*, *Bartholomaeus de Chaymis* et *Ant. de Butrio*, in *Hiſpania Andreas* Ep. *Megarenſis*, ſed noſtrum iis ſuccinctius, et fortaſſe ex iis decerptum eſt.

XXI. *fol.* 179. fine tituli *Ephraem Syri Niſibitani* Monachi Sec. IV. Scriptoris *Sermones* XX. ab *Ambroſio Traverſario* Coenobita *Camaldulenſi* an. 1439. *Florentiae* extincto e graeco latine redditi, cum ejusdem *Praef. ad Coſmum Medicen*, quae incipit: *Peregrinum nuper offendi e Syria* &c. quamque poſt alios integram dedit *Lambecius* noſter L. I. p. 119. edit. *Kollar. col.* 215. ut de plagio convinceret *Gerardum Voſſium* Praep. *Tungrenſem*, qui in ſua *Ephraemi* verſione *Romae* primum 1589 — 93. edita elegantem *illam Praefationis* ἀλληγοριαν ſuam feciſſet nulla uſpiam *Ambroſii* mentione injecta. Qua in re injurium *Voſſio* extitiſſe *Lambecium* laus illa demonſtrat, qua vir ille *Ambroſium* afficit in T. II. dedicatoria ad *Clementem* VIII. ut recte obſervavit *Joſeph Sim. Aſſemanus* in *Prolegom.* ad T. I. *Opp. S. Ephraem*, *Romae* 1732. c. 7. f. Sermones porro Codex noſter cenſet XX. non, ut viſum *Lambecio*, XXI. eodem ordine, quo ſe in edit. principe *Florentiae per Ant. Miſchominum* 1481. 4. excipiunt, illo ſolum diſcrimine, quod nobis Sermo IV. *de Vita et exercitatione monaſtica* in duos diviſus ſit ita, ut ab iis verbis: *Venite dilectiſſimi mei, venite patres et fratres mei* &c. novus Sermo inſcriptus *de Vita monaſti-*

ca